

M.G. 4
XXXVI, 15

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
**FLUXU MULIEBRI
MENSTRUO,**

QUAM,
FAVENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS,
E W AL D I H O L L E B E E K,
THEOLOGIÆ DOCTORIS ET PROFESSORIS IN
ACAD. LUGD. BAT. ORDINARII,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
& Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis,
ritè ac legitimè consequendis,
Eruditorum Examini submittit

BENJAMINUS YOUNG PRIME, A. M.
NOV-EBORACENSIS AMERICANUS.

Ad diem 7. Julii MDCLXIV. H. L. Q. S.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud THEODORUM HAAK, 1764.

*M. P. G.
XXXVI 115*

— — — — — medio tutissimus ibis. OVID.
In hac disputatione, ut in omnibus ferè aliis, media quodammodo inter diversas sententias tenenda est opinio; nam animus, quamvis non conscientius, motum vasorum necessariò accelerat; cætera omnia motus auctus perficit.

HOMÈ Princip. Med. Lib. I. P. II. Sect. 9.

V I R I S
D I G N I S S I M I S,
COLIN MACKENSIE, M. D.
ARTIS OBSTETRICIÆ LONDINI PRACTICO DEXTERISSIMO, EJUSDEM-
QUE PRÆLECTORI HABILISSIMO;

E T

GEORGIO FORDYCE, M. D.
IBIDEM MEDICINÆ ET CHEMIÆ PRÆLECTORI DOCTISSIMO;
AMBORIBUS PRÆCEPTORIBUS SUIS HUMANISSIMIS, OB MULTA EORUM
ERGA SE BENEFICIA, MAXIMO HONORE PROSEQUENDIS.

N E C N O N

V I R O


R E V E R E N D O,

EBENEZER PRIME, A. M.
HUNTINGDONIÆ IN COLONIA NOVI-EBORACI AMERICANA,
ORACULORUM DIVINORUM INTERPRETI, PARENTI SUO OPTIMO ET
INDULGENTISSIMO, OMNI AMORE PIETATEQUE FILIALI
AD ROGUM USQUE COLENDO.

*Hacce studiorum suorum Primitas,
tanquam animi grati pignus, ed,
qua par est, veneracione*

D: D: D: Q:

A U C T O R.



D I S S E R T A T I O M E D I C A
I N A U G U R A L I S,

D E

F L U X U M U L I E B R I
M E N S T R U O.




P R O O E M I U M.

Periodico sanguinis fluxui, qui Menses, Menstrua vel Καταμήναι dicitur, obnoxias esse Fæminas, nemo ab omni ferè ævo ignoravit; circa eum autem magna est inter autores ad hunc usque diem sententiarum discrepantia. Quænam enim sint Mensium eorumque Suppressionis & Profluvii Causæ & cuiusmodi Remediorum Effectus, sunt quæstiones de quibus nondum consenserunt medici. Hoc igitur Argumentum tractatur, arduum sanè periculose sumque

suntque munus nos suscepisse fatemur; debortatus quidem materiae difficultas, sed suadet veritatis amor vobemensque scientiae desiderium. Quapropter ut proposito satis faciamus, de Mensium Causis, Suppressione, Profluvio & Remediis, nobis erit differendum: sed quoniam nulla Theoria aut medendi Methodus, potest esse naturae & rationi consentanea nisi Experiencie innitatur, a Mensium Phænomenis exordiri oportet. Nulli igitur Opinionis addicti sed Veritatem religiosè venerantes, ea, quæ poterimus, Menses spectantia, (cuicunque Theoræ arridere videantur) fideliter alicubi proferre, & omnia quæ hoc tractatulo dicturi sumus, quantum maximum ab Observatione deducere pollicemur. Amicus enim est SOCRATES & amicus PLATO, sed magis amica VERITAS.





P A R S P R I M A.
DE
MENSTRUATIONIS PHÆNOMENIS,
CAP. I. *De Mensium subjectis.*

§. I.

Menstruatio humano generi, fæmineo sexui, mediaeque ætati naturalis est, sed non omnino peculiaris.

§. II.

Quibusdam enim simiis contingit hujusmodi sanguinis evacuatio, Brutisque permultis, dum libidine æstuant, mucosæ cujusdam humoris e genitalibus excretio. Et FELIX PLATEKUS quidem se caniculam habuisse refert, cui, domo, ne cum maribus congrederetur, inclusæ, æstroque venereo stimulataæ, ipse Sanguis e pudendo tumido per aliquot dies effluxit.

§. III.

Quidam etiam *Mares*, præcipue qui vitam agunt sedentariam, *Haemorrhagiae periodicae*, e naribus scilicet, *ano &c.* sunt

8. DISSERTATIO MEDICA

sunt obnoxii; & *Puella* vetulaque aliquando veram *uterinam* patiuntur *bæmorragiam*.

§. I V.

Haud omnes autem adultæ menstruantur fœminæ; *lactantibus* enim raro fluunt, *gravidisque* plerumque deficiunt, *Menses*; aliquando tamen per aliquot periodos, & vel per totum gestationis tempus persistunt. Fœminæ etiam *emaciatae* morboque *debilitatae*, raro quidem, nonnunquam tamen, menstruantur.

CAP. II. *Menstruationis Historia.*

§. I.

Puella impuberes nonnunquam narium &c. patiuntur *hæmorrhagiam*, alioquin haud raro *Chlorosi* quâdam afficiuntur; quarum exempla quædam ab usque 7°. vel 8°. ætatis anno mihi vidisse contigit.

§. II.

Sub menstruationis initium intumescunt *mammæ* & soro-riant; *Uterus* subitum magnitudinis incrementum patitur, & *Puella* novis insolitisque stimulis ad *Venerem* sollicitatur. Imminentibus autem pro primâ vice mensibus, *Febre* quâdam vel *Diatbesi inflammatoriâ* plerumque afficitur.

§. III.

Menstrua ut plurimùm fluere *incipiunt* circiter 14m. ætatis annum; per aliquot autem menses vel etiam annos, ratione Quantitatis, Durationis & Periodorum, plerumque sunt irregularia.

§. IV.

INAUGURALIS.

§. IV.

Cessant plerumque inter 40^m. & 50^m. ætatis annum, prius autem irregularia fiunt & aliquando etiam immodica; & post cessationem, Fœminæ narium &c. bæmorragiam, Diarrhæam, Passionem Hystericam vel Chlorosin quandam pati, vel pinguescere, solent.

§. V.

Aliquando tamen *Menses maturius seriusve fluere incipiunt & desinunt*; In regionibus nempe calidis maturius, in frigidis autem serius, erumpunt; sed in omnibus regionibus, pro vitæ consuetudine, habitudinis varietate &c., sat insignis observatur diversitas. *Aliœ* enim puellæ ad 9^m. ætatis annum, *Aliœ* autem (quarum ipse vidi exemplum) non nisi post 18. vel 20. annos menstruari incipiunt. Novi quoque *Fœminam*, quæ nunquam pepererat, cui ordinatè ad 60^m. ætatis annum fluxissent *menses*; & aliam quandam *vetulam*, 73. annos natam, cui *menses*, qui ætate solitâ cessavissent, periodicè ter quaterve eruperunt.

§. VI.

Menses, autem quo maturius incipiunt, eo maturius fluere desinunt & vice versa.



CAP. III. *Eruptionis Historia.*

Symptomata, quæ mensium eruptionem præire solent, sunt, *Uteri vaginaque Tensio*, *Calor* & *Dolor*, vel *aucta* saltem *Sensibilitas*; *Pubis*, *Inguinum*, *Coxarum*, *Femorum* vel *Lumborum Dolor*, *Aëstus*, & nonnunquam *Inflammatio*

qo DISSE^TRAT^IO MEDICA

externa, Intestinorum Dolores & Spasmi, Abdominis Tumefactio, Hæmorrhoides, Labiorum Pudendi Tumor vel Pustulæ, Urinae quasi Incontinentia, Ardor, & Opacitas: Mammarum Intumescentia, Appetitus Remissio, Nausea, Anhelitus, Cephalalgia, Somnolentia vel Vigiliae, Languor, Crurum Lassitudo &c. Quæ omnia post eruptionem gradatim plerumque evanescunt.

CAP. IV. De Mensium Quantitate, Duratione
& Periodis.

§. I.

Mensium Quantitas haud facile definiri potest, & mutatur de ea quidem inter se discrepant authores; Aliqui enim 4 (a), alii 8 (b) & alii denique, secundum suam durarum Heminarum HIPPOCRATIS Atticarum computationem, 20 vel 24 Uncias (c) extrellum quantitatis naturalis limitem esse statuunt; DE HAEN autem modo quodam singulari, linteis scilicet sanguine imbuendis, & cum iis, quæ menstruis imbuntur, comparandis, a 3^{bus} ad 10^m uncias quantitatem naturalem æstimat. Sed non nostrum est inter tantas componere lites. Quantitas autem a pubertate ad usque florem ætatis augetur & deinceps ad Cessationem finalem imminuitur (d), dummodo menses ceteroqui sint regulares.

§. II.

Fæminæ robustæ, laboriosæ & simpliciter vittantes, nec
nobis

(a) SMBILLIUS.

(b) ASTRUCUS, HALLER.

(c) FRIEND &c.

(d) FRIEND. Gynaecolog. Cap. I.

I N A U G U R A L I S.

11

non etiam obesæ, rariùs citius & parcior; molles autem, oris-
sæ, genioque indulgentes, sèpius, diutius & uberioris purgan-
tur, & vel profluvio sunt obnoxiae.

§. III.

Quibusdam regionibus, Fœminæ parcè admodum, vel ne
prorsus quidem, menstruantur. Hoe à LERIO dicitur &
PESCHLINIO de mulieribus Brasiliensis & Groenlandicis. idem-
que Scytbicis olim contigisse testatur HIPPOCRATES (e).

§. IV.

Mensium *Duratio* est a 3 ad 6 vel 7 dies, & *Periodi* sunt
a 3 ad 5 Septimanæ; si nempe ritè fluant, aliquæ enim fœmi-
næ raro admodum & brevi tempore, aliæ autem diù & ferè
indesinenter, præter naturam, purgantur.



CAP. V. De Uteri Structura, & Sanguinis men- strui Origine.

§. I.

Præter membranas investientes & folliculas fortasse muco-
fas, *Uterus* vix aliud quicquam esse videtur, quam con-
geries vasculorum, inter se mirificè inosculantium, quæ ab
Arteriis venisque *Spermaticis*, *Hypogastricis*, & *Hæmorrhoi-*
dalibus internis proveniunt, quorum etiam aliquæ *Vaginae* dis-
tribuuntur, perpaucæ etiam vel nullæ sunt venis uterinis
Valvulae. RUY SCHIUS quidem, HEISTERUS, ASTRUCUS &c.

utero

(e) Dę Aëre, 48.

12. D E S S E R T A T I O M E D I C A

utero fibras tribuerunt *musculares*; adhuc autem sub judice lis est, & nostra profecto haud multum refert. Nervi uterini ab *Intercostalibus Sacrisque* suppeditantur, nec fortasse de sunt venæ *Lymphaticæ*.

S. I I.

In corpore toto pars nulla datur, in quā tantæ ac in utero dilatabilitas contractilitasque reperiuntur; quamvis enim ante pubertatem parvus sit & durus, menstruatione major molliorque evadit, & graviditate a Pyri mediocris in globi majoris molem distenditur; post partum autem ad pristinam suam exiguitatem sese contrahit.

S. I I I.

Utrum ex *Utero* an *Vaginâ*, ex *Arteriis* an *Venis* profluat sanguis menstruus, disputatur; sed ab uteris menstruantium prolapsis vel dissectis, a VESALIO (a), SPIGELIO (b), MORGAGNIO (c), PEYERO (d), MAURICEAU (e), SCHURIGIO (f), LITTRÉO (g), HIGHMORIO (b), WINSLOVIO (i), &c. observatis, sanguinem ex *ipso Utero* provenisse, & ex ostioliis vasorum circa fundum potissimè, consultò fictis, non autem, uti somniavit FRIENDIUS, e vasibus *diruptis*, emanasse constat. Aliquando fortasse tamen ex utero simul & *vaginâ* vel etiam *e-vaginâ* sola, quemadmodum se invenisse affirmat COLUM-

BUS,

(a) De Hum. Corp. Fabricâ, Lib. V. Cap. 15.

(b) De Hum. Corp. Fab. Lib. VIII. Cap. 20.

(c) Adversar. Anatom. Adv. I. §. 33. & IV. §. 27.

(d) Ephem. German. Dec. II. Ann. I. Obs. 84.

(e) Des Maladies des Femmes Grosses &c. Liv. I. Chap. 10.

(f) Parthenolog. Sect. II. Cap. 2. §. 2.

(g) Histoire de l'Académie des Sciences, l'Année 1720. pag. 16.

(h) Corp. Hum. Disquisit. Anatom. Lib. III. Part. IV. Cap. 4.

(i) Exposit. Anatom. du Bas-Ventre, pag. 574.

bus (k), fluere possunt menses. Et hoc gravidis aliquoties fortasse contingit.

§. IV.

Neque ex arteriis nec e venis, sed potius e *vasis lateralibus* reti capillari appensis, & a quibusdam auctorum supradictorum, menstruationis tempore, observatis, fluere videtur sanguis. In ea autem ab arteriis potius quam a venis derivari credet, quicunque sanguinis circumlati directionem animadytererit: sed hujus Sententiae ratio clarius infra patebit.



CAP. VI. De Qualitate sanguinis menstrui.

Pro Aetatis, Temperamenti &c. diversitate, sanguis menstruus est *tenuis* vel *crassus*, *pallidus* vel *floridus*, reliquo nempe sanguini omnino similis, nisi quod cum humore mucoso e glandulis uterinis excreto fortasse commisceatur. Nihil aliud esse videtur *Fluor albus* quam immodica hujuscum humoris excretio, qui nonnunquam vice sanguinis menstrui evacuatur. Multa quidem terribilia de qualitate sanguinis menstrui virosa olim scripsérunt PLINIUS, (a) AELIANUS, (b) & alii; nunc autem dierum, eum, si modo sana sit mulier, prorsus innocuum esse constat. Sed, quoniam Fœminæ, quibus vel non omnino vel parcè fluunt menses, *birfutæ*, *barbatæ* & *babituæ* dinis quasi *masculinæ*, fiunt (uti *Pbaebusa* & *Namyia*, de quibus scribit HIPPOCRATES (c) haud forsan erit conceptu absurdum, una cum mensibus aliquid esse ejectum, quod alioquin corporis vigorem adaugeret.


P A R S

(k) Anatom. Lib. VI.

(a) Histor. Natural. Lib. VII. Cap. 15.

(b) De Animalibus, Lib. XI. Cap. 3.

(c) Epidem. Lib. VI.




P A R S S E C U N D A.

D E

M E N S I U M C A U S I S.

Mariæ fuerunt de mensibus, quos, pro more temporum vel animi indole, causis *astrologicis*, *chemicis* vel *mechanicis* tribuerunt, Auctorum opiniones. Aliqui enim a *Lunæ imperio*, alii ab Effervescentiâ *Fermenso* quodam in sanguine generata, alii porro a *Pletibora generali* & alii denique a *plenitudine Uteri particulari* concitatos esse crediderunt. Has igitur opiniones discutiamus & quid de mensum causis sentiendum est, videamus.

C A P . I . *De Luna Imperio.*

ARISTOTLES & alii (a) *Lunam fluxūs menstrui quasi Imperatricem* esse statuunt 1. Quia scilicet æstus marini *Lunæ cursum* sequuntur, & *Syzygiis* altius elevantur. 2. Quia cre-

(a) Fernelius, Meadus &c.

(b) Lubrica nascentes implent conchylia lunæ. HOR.

crescente Lunâ, pescium testaceorum augetur moles. 3. Quia morborum quorundam, *Epilepsia* scilicet, *Mania* &c. Paroxysmi *Syzigii* (uti dicitur) plerumque invadunt. 4. Quia Menses ipsi menstruum quasi typum servant. MEADIUS (*e*), vir qui-dem eruditus, gravitatem atmosphæræ, vi Solis & Lunæ attractivâ ad Oceani morem elevatæ, imminutam esse credidit, & inde massam sanguineam, propter aëra contentum elatere suo sese explicantem, *turgescere* opinatus est. Et ab hâc quidem turgescientia tam menses quam morbos aliquot deducit. Sed, quæcunque sint Atmosphæræ ratione gravitatis &c. mutationes, & quanticunque fieri possint earum in corpore humano effectus, talem aëris in sanguine *Expansionem* nullo modo concedere possumus; quoniam omne citò moritur animal, cui aër elasticus in vasis sanguineis continetur. Sed ad omnia simul argumenta, quæ menses energiæ Lunari tribuunt, refutanda, sat erit dixisse, eruptionem omnibus periodi lunaris diebus, horisque diei omnibus nullo ferè discrimine evenire. Nihilominus, Lunæ imperium in hac nostrâ tellure mutationes sat insignes, modo quodam tamen adhuc incognito, efficere, vix dubitandum est; & fortasse etiam mensium periodos aliquantò variare potest, mensibus autem *eliciendis* minimè par & sufficiens esse videtur.



CAP. II. *De Fermento.*

Alia Hypothesis, quæ GRAAFFIO, BATLEO, ETMULLERO, VERHEYENIO, aliisque ultimi saeculi Physiologis placuit, menses, *Fermento* cuidam vel per totam sanguinis massam diffuso, vel in ipso duntaxat utero agenti, tanquam causæ efficienti

(e) *De Imperio Solis & Lunæ.*

16 D I S S E R T A T I O M E D I C A

xienti adscribit. Sana autem argumenta, quibus innitatur hæc Opinio, (absurdâ scilicet analogiâ a pravis *Chemia* principiis oriundâ) haud equidem invenio. Varia aurem præstò sunt argumenta quibus refutari potest. 1. Fermenti, quod in sanguine effervescentiam generaret, existentia res prorsus est *imaginaria* & a nemine huc usque demonstrata. 2. Si reverâ existeret fermentum, haud necessario effervescentiam efficeret; fermentationem enim effervescentia non semper comitatur. 3. Effervescentia, utpote aëris fixi in *elasticum* conversio, fermentationibus animalibus ita parum est necessariâ, ut in vasis corporis fani sanguineis ne fieri quidem posse videtur. Effervescentia enim, in fluido magnâ vi undique compresso & ab aëre externo penitus concluso, quale videtur esse sanguis, oriri nequit. 4. *Aër elasticus* non nisi in *membrana cellulari*, idque post putrefactionem singularem reperitur; si vero in vase sanguinea Syringe injiciatur, animalia citò occidit. Siquis massæ sanguineæ extenfionem a *Calore* fermentatione generato ortam menses provocare credat, respondeo. 1. Calorem non omnibus fermentationibus generari (a). 2. Sanguinis calorem nunquam plus quam 12 grad. a grad. 98° scilicet ad 110° vel inflammationibus ipsis augeri, quæ differentia nimis est exigua, quæ sanguinem satis extendere posset.

C A P. III. *De Plethora Generali.*

GALENUS & alii quamplurimi eum ad hanc usqñē diem sequi, menstrui fluxus originem PLETHORÆ generali tribuerunt, nec absurdè quidem, ni unicam esse causam statuisserint; haud pauca enim sunt Phænomena, quæ causam saltem

(a) Putrefactivâ scilicet exceptâ.

αρρηγύματα esse confirmant. Hujusmodi igitur Plethoram tanquam unam mensium causam agnoscimus.

1. Quia Plethora generalis & hæmorrhagiæ periodicæ eandem plerumque habent originem, & sese invicem ut plurimum comitantur. Viri enim *sedentarii*, propter vitam suam *otiosam*, non modo sunt *molles* & *effeminati*, sed etiam propter Perspirationis aliarumque secretionum defectum, *nimio sanguine*, ni pinguescant, laborare solent; iidemque potissimum *hæmorrhagias* narium, hæmorrhoidum &c. *periodicas* patiuntur, præsertim si quando vehementius sese exerceant. vid. P. I. Cap. I. §. 3. Nec fieri quidem potest, quin fœminæ, utpote otiosæ, iisdem de causis, tam *Plethorae* forent, quam *fluxus menstruus*, plane sunt obnoxiae.

2. Quia non erumpunt menses, donec vasa sanguinea ultimam ferè suam capacitatem acquisiverint. Nempe donec *insignis* quædam generata fuerit Plethora; quamvis enim puellæ impuberis, propter otium, mollitem, victumque liberiorem, habitudinis sunt plenioris, unde oriuntur interdum Chloroses, & narium Hæmorrhagiæ; Plenitudo tamen perpetuâ fere partium solidarum ~~extensione vel spissitate~~ ~~extensione~~ ~~et spissitate~~ ~~et extensione~~ et saturatione intra limites redigitur, & vasa uterina adhuc aperire nequit. Ubi autem vasa sanguinea, uterinis exceptis, extensionis suæ vigorisque terminum fere attigerunt, & glandulæ, vires adeptæ majores, humores e sanguine spissiore parcius excernunt, nascitur Plethora haud minc ut olim cohibenda, & paulò post menses erumpunt; & simili de causa ad ætatis *axula* quantitate augentur. Post mensium quidem eruptionem, puellas insigniter aliquando crescere minime negandum est. Vid. van Swiet. Comment. in Aph. Boerbaav. Tom. IV. p. 401. plerumque autem aliter evenit. Sed quantumcunque sit, quod pubertatem sequitur, corporis incrementum, exiguum est ratione ejus quod pubertatem antecedit, siquidem Corpus ratione

ætatis inversa crescit. Sin corpore adhuc exili & ætate tene-
ra menses erumpant, uti nonnunquam evenit, a fortuita qua-
dam incrementi mora, oriri videntur, quia *ordinatis vicibus*
non fluunt donec robustius proceriusque corpus evadat.

3. Quia multa Symptomata, quæ mensum eruptionem antecedunt & suppressionem vel cessationem sequuntur, mani-
festa Plethorae sunt Indicia, ut infra clare elucescat. Vid. Part.
III. Cap. 2.

4. Quia *lactantibus* deficiunt menses; quò plus enim chyli
in mammis fecernitur, eò minus in sanguinem conficitur; quo
fit, ut Nutrices raro sunt plethoricæ, & raro quidem men-
struantur.

5. Quia *Venæfæctio*, tam gravidis quam aliis, symptomata a
mensum suppressione oriunda alleviat.

6. Quia fœminæ, si ritè menstruantur, minùs sunt quam
viri, narium &c. hæmorrhagiis obnoxiae.

Huic tamen doctrinæ quædam objiciuntur Phænomena.

1. Mensum Symptomata, nec in *omnibus* fœminis, nec
multò ante eruptionem oriuntur. R. Plethorae Symptomata
sece non ostendunt, donec Plenitudo ad *gradum* quendam *in-
signem* ingravescat; tanta enim est vasorum dilatabilitas, ut
multò plus solito sanguinis sœpe sine molestia insigni continere
possint. Si igitur vasa uterina *laxiora* fuerint, erumpere pos-
sunt menses, antequam sanguis eò usque accumuletur. Haud
mirum ergo videri debet, si quædam fœminæ sine *diurnâ*
vel etiam sine *ullâ* præmonitione menstruantur. Puellæ au-
tem, quibus vasa rigidiora pro primâ vice dilatantur, hujus-
modi symptomata multò ante eruptionem nunquam non pa-
tiuntur.

2. Venæfæctio, ante eruptionem celebrata, menses non sem-
per imminuit vel retardat, aut saltem non omnino impedit, imò
aliquando promovet. Hoffman. Med. Rat. & Syst. Tom. II. p. 404.

R.


R. Nec semper quidem alias quasdam impedit hæmorrhagias, omnium tamen consensu a plenitudine oriundas. Si celebretur quidem *Venæfæctio*, postquam Plethora uteri particularis exorsa est, mensium eruptionem vix perturbare potest. Ex observatione enim constat, Venæfæctionem *universalē* ad vehementes vasorum *particularium* oscillationes compescendas nihil ferè omnino valere (*a*). Si autem ante natam vasorum uterinorum plenitudinem, Venæfæctio fiat, menses aut *minui* aut *retardari* vix dubitandum esse existimo. Si antequam aperiantur vasa uterina, vasa universa nimio sanguine onerentur, ita, ut viribus idoneis fæse contrahere nequeant; Venæfæctio, onere minuendo, menses *promovere* proculdubio potest; hoc tamen nostræ doctrinæ nullo modo repugnat.

3. Fœminæ *macilentæ* & vel *morbo extenuatae* interdum menstruantur. R. Quamvis *macilentæ* sint, si modo *sane* sint, fœminæ, non ideo sanguinis inopes sunt existimandæ; immo præ cæteris sunt plethoricæ, quia minus sanguinis in adipem convertitur; & idcirco fœminæ *graciles* sæpe, dum lactant, menstruantur (*b*). Fœminæ etiam morbo *extenuatae* fluxum menstruum non inunquam patiuntur; hoc tamen *laxio doctrinae* sequitur, quia non *omnibus* sed *plerisque*, sanis scilicet, Plethora generalem ad menses eliciendos necessariam esse contendimus; si enim fœminæ facile menstruari solitæ, vasa uterina præ cæteris *debilitentur*, vel cætera *spasmo* quovis afficiantur, præsertim si, ut sæpe fit in morbidis, sanguis fit *remuor*, stimulo quovis vel corpus totum vel uterum ipsum irritante, absit licet Plethora, menses possunt excitari; quemadmodum in solitis narium hæmorrhagiis, propter vasorum laxitatem, stimulus quivis sive universus sive topicus, majorem narium plenitudinem tandemque sanguinis fluxum aliquando-

ex-

(*a*) Vid. Cap. V.(*b*) *Faenza. Emmenolog.* Cap. VI.

excitat quāvis æger minimè fit plethoricus. E contrario plerisque hujusmodi fœminis menses omnino desunt; iisdemque a morbo, puerperisque multis a partu, convalescentibus, Lochiis puerperii nempe exinanitis (*c*), non nisi post aliquot periodos denuò fluere incipiunt.



C A P. IV. *De Plethora Particulari.*

Alli sunt adhuc qui, quoniam ejus ope omnia mensium Phænomena explicare nequeunt, *Plethoram Generalem* prorsus respuunt, *Plethoramque uteri particularem* substituunt; quibus autem modis hæcce topicā generari possit Plethora, nullibi mihi adhuc invenisse contigit. Quidam sunt profecto, qui quosdam sibi fingunt *sinus uterinōs*, in quibus sanguinem gradatim accumulari, tandemque viam quasi pondere suo sibi comparare credunt; sed præterquam quod hoc merum est imaginationis figmentum, nullis dissectionibus demonstratum, haud facile est intellectu, quomodo sanguis absque plethorā universā accumulari, mensiumve phænomena explicari possint, aut saltem quare hujuscē plethoræ indicia, quæ uterum spectant, per totam periodum ratione plenitudinis ipsius non augeantur. Celeberrimus ASTRUCUS (*a*) *vasa* quædam in utero *tenuia*, vasa sanguinea vermium instar amplectentia, singulisque mensibus *lacteo* quodam humore repleta ac distensa, vasa sanguinea ita constringere credit, ut sanguis in utero magis ac magis accumulatus, per *appendicū venosarum* ostio-
la tandem extrudatur; fluxumque durare dicit, donec, vasibus lactiferis & sanguineis sese invicem comprimentibus, illa penitus fuerint exhausta, & appendices ad pristinam tenuita-
tem

(*c*) FREIND. *Emmenolog.* Cap. IX. p. 64.

(*a*) *Traité des maladies des Femmes Tom. I.*

tem sese contraxerint. Hacce quidem Theoriā plurima mensium Phænomena ingeniosē admodum solvit *Vir Celeb.*; sed, quoniam humorem lacteum & sanguinem sese mutuò expellere credit, ejus opinio (pace tanti viri dixerim) hanc mihi videatur implicare absurditatem, quod scilicet *duæ potestates contraria & aequales superant simul & superantur*; fin aliter, nondum certè non solvit *Gordianum*, quia *Lactis ipsius accumulationis causam ambagibus adhuc obvolutam relinquit*.

Pletboram tamen uteri *Topicam* minime negamus, imò libenter agnoscimus; tam manifesta enim sunt Phænomena (Vid. P. I. Cap. 3. & P. III. Cap. 2.) quæ eam plane arguunt, adeòque est hujusmodi plenitudo ad menses eliciendos necessaria, ut, absque eā, nec fieri menses nec explicari posse strenue affirmare audeamus. Pleraque scilicet symptomata, quæ mensium eruptionem præeunt, suppressionemque sequuntur, tam manifestæ sunt Uteri, Vaginæ partiumque vicinarum affectiones, a sanguinis plenitudine & vehementiore vasorum oscillatione oriundæ, ut cum ne minimā quidem verisimilitudine cuivis aliī causæ imputari possint. Quod clariū patebit cùm de *Ratione Symptomatum tractaverimus*. Adde quod in Fæminis, quibus morientibus fluunt menses, uterus, propter vasa sua dilatata & sanguine referta solito *major* *molliorque* reperitur, qui aliàs *parvus*, *durus* est, & quasi *exanguis*.



CAP. V. *De Pletoræ Uterinæ Generatione.*

Qualis est igitur, & quibus modis efficitur Plenitudo uterina? Nulla sanè alia mihi videtur ad eam efficiendam necessaria, præter vasorum uteri sanguineorum repletionem, quæ partim *mechanicâ* Pletoræ generalis *actione*, partimque *stimulis* inde vel aliunde ortis, facile accumulari potest.

Quum enim *Pletora generalis* eò usque fuerit aucta, ut vasa, uterinis exceptis, sanguinea, ultimum fere suum adepta vigorem, vix possint ulterius extendi, & sanguinem majori ratione quantitatis auctæ momento projiciant, Vasa ipsa uterina, quæ ob insignem suam contractilitatem mechanice distendi citius non potuerunt, vi cordis & arteriarum impulsiva jam tandem necessariò dilatantur, nisi nimium rigida fuerint. Ad hoc etiam efficiendum fortasse conducunt. 1. *Erepta corporis conditio*, quæ sanguinis cursum ad inferiora facilitat. 2. *Exercitium*, a quo, propter venarum valvulas, sanguinis motus cor versùs promovetur, & per totum corpus acceleratur. At quoniam *venis uterinis*, non autem *venis cruralibus, ramisque Venæ Hypogastricæ externis*, defunt *Valvulae & Compressio Muscularis*, sanguine in arterias uterinas majori impetu impulso, & in venis uterinis propter *Trunci Hypogastrici, Venæ Cavæ & Enrulentis Sinistram* plenitudinem retinato, capillaria uterina dilatantur. 3. *Cubitus supinus*, a quo vasa superficie corporis inferioris & potissimum rami vasorum *Hypogastricorum* externi comprimuntur, quo fit, ut plus sanguinis ad uterum deferatur; & hic obiter dixisse liceat, simili fortasse modo incitatas esse in maribus erectiones nocturnas, præsertim si in lecto duriore dormiant. 4. Eodem etiam tendunt quedam alia viz. *Sternutatio, Tussis, Vomitus, ad Alveum exonerandam Nifus*, &c. temporariam saltem sanguinis in venis omnibus moram, &, Diaphragmate musculisque abdominalibus sese contrahentibus, Viscerum Abdominalium compressionem efficiendo, eorum quæ in Pely, Uteri scilicet, &c. plenitudinem aliquantò fortasse augent.

Hæcce mechanica Plethora generalis actio *moli uterina* in pubescentibus *augenda*, & *Plethora uterina* in adultis *incœunda*, minime autem *mensibus eliminandis*, nisi vasa uterina laxiora fuerint, par & sufficiens esse videtur. Ad doctrinam
igit

igitur *stimulorum*, qui vehementiorem vasorum oscillationem majoremque sanguinis affluxum excitant, configiendum est. Stimuli autem qui hoc possunt praestare munus, sunt. 1. *Ipsius sanguinis quantitas insolita a Plethora universali in uterum impulsâ quæ vasa aliquantò distendit, & distendendo stimulat.* 2. Si quis autem plenitudinem Uteri topicam a Plethora universali hoc modo *mechanico* inchoari non posse arbitretur, haud fortasse tamen erit difficile invenire stimulum qui idem praestare potest si modo Plethora universalis, uti par est, concedatur. In partibus enim tam *fœminarum* quam *marium* genitalibus secerni, circa pubertatem autem perfectius elaborari, videtur *humor quidam genitalis*, qui a venis Lymphaticis ex parte faltem absorptus per corpus universum diffunditur, & partes ejus omnes, præcipue, propter insignem suam sensibilitatem, *genitalia*, ad munera sua fungenda, vivifico suo stimulo corroborat. Qui, si in fœminis non sit *verum semen*, (Uti me quidem suspicari fateor) generationi tamen inservit, sexumque ad venerem provocat; tam fœminis enim animalibus quam maribus castratis, ablatus est appetitus Venereus. Plethora autem universali sanguine perficiens glandulæ tam uterinæ quam aliis suppeditato, præfertim si *acre* quoddam & *stimulans* ederit vel biberit, vel *motu* quodam *vehementiore* agitata fuerit mulier, hicce humor genitalis solito uberioris fortasse secernetur, stimuloque novo uterum, semper quidem insigniter, nunc autem, propter paulò majorem uteri plenitudinem, a Pleth. gen. ortam, magis adhuc irritabilem, stimulabit.

3. Sin alicui dubia videatur hujusmodi humoris genitalis *actio*, multis aliis fortasse modis incitari potest *Uterina Plenitudo*. Ideæ enim *venereæ* sive a reflectione, ut saepe fit, sive a paulò majori, propter Plethoram Generalem uterinâ plenitudine, oriundæ, (ante menses enim fœminæ solito fiunt sacliores) miro quodam modo genitalia stimulant, & majorem

rem adhuc possunt efficere Plenitudinem, & quidem permanentem; quamvis enim genitalium plenitudo, idæis venereis excitata, brevî *alias* evanescat; hoc tamen *casu*, propter Plethora-ram Generalem penitus solvi nequit. Alii sunt etiam stimuli quam plurimi partes vicinas, Pudenda scilicet, Vaginam, Vesicam & intestina *immediate*, uterum autem ipsum *per con-sensum* afficientes, qui idem efficere possunt. Quales sunt for-tasse *Urina* vel *fæces diù retentæ*, vesicam & intestina irritan-tes, *humores acres* intestinis contenti, omnesque partium ute-ro vicinarum *irritationes*, *dolores &c.* & hic obiter dicam, nulla fere reperiri *Pharmaca*, quæ menses tam feliciter cient, quam ea, præsertim *Aloë*, quæ intestina &c. *stimulant*. Men-ses enim non tam *periodice* erumpunt, nec tam *raro* contin-gunt hujusmodi accidentia, quò minùs primam plenitudini uterinæ ansam dare possint, vel sâktem menses properent & augeant. Citiùs autem exorietur, celeriusque progredietur, Plethora uterina, si, uti sâpe, ni fallor, evenit, locum simul obtinuerint hæc tria stimulorum genera; non solum enim eò-dem tendunt, sed etiam reciprocâ suâ actione sese mutuò ex-augebunt. Sunt, qui tam Plethoræ uterinæ generationem quam Famem, Somnolentiam &c. *confuetudini* tribuunt. Esse quidem *habitus*, quibus corpus consuetudine subjicitur, minimè ne-gamus; quoniam autem hujusmodi *habitus* non minùs quam ipsi menses explicatione indigent, eos, tanquam causas, pro-ferre vix scientificum videtur.

Tali aliquâ ratione exorsâ Plenitudine uterinâ, distenduntur vasa & distensione ad majores irritantur oscillationes, quæ suâ vice efficiunt, ut vasa magis adhuc sanguine diastole suâ disten-dantur. Oritur nempe quædam uteri partiumque vicinarum Φλέχωσις, in quâ plus sanguinis in uterum ab arteriis impelli-tur, quam qui per venas redire potest; unde fit, ut sanguis in vasis uteri capillaribus magis ac magis in horas accumuletur, do-nec,

nec, vasis lateralibus sensim dilatatis nec amplius sanguinis propullum sustinere valentibus, primò quidem *bumor* quidam *ab*us**, (fortasse tamen e glandulis uterinis) postmodùm autem *ip*se* sanguis* erumpat. Et quamdiu quidem plura appetiuntur magisque dilatantur vasorum ostiola, aut plus sanguinis in utero stimulis agentibus accumulatur, quam a profluvio detrahitur, tamdiu Evacuatio in horas augescit; postea autem (vasorum ostiolis sese contrahentibus) paulatim minuitur, tandemque omnino cessat. In omnibus igitur fœminis (illis fortasse exceptis, quibus, propter vasorum laxitatem, facilius fluunt menses) Eruptionem, ni fallor, precedit levis quædam uteri &c. Inflammatio, quæ quidem in plerisque ad vias appetiendas est necessaria. Sicui Verbum *Inflammatio* displiceat, quasi grave quoddam sonaret, & cum morbo quodam ita dicto, puerperis admodum periculoso, *eo nomine*, confundetur, animadvertis, periculum, non tam a *specificâ* morbi *naturâ*, quam a *gradu* aliisque *circumstantiis* oriri. Cum *Inflammatione* puerarum uterinâ sæpe conjunguntur *Debilis* *infignis*, *Uteri Contusio* & fortasse *Laceratio*, *Suppreffio* *Locbiorum*, quæ denud provocari nequeunt, unde fit *Uteri Suppuratio* vel *Gangræna*, quæ morbum reddunt immedicablem. *Menstruantium* autem *Inflammatio* lenior est & lentior, vires non sunt exhaustæ, Uterus sanus est & integer, symptomata tolluntur & Suppuratio & Gangræna tempestivâ sanguinis evacuatione evitantur. Nihil quidem aliud est *Inflammatio*, quam *vasorum solito major plenitudo* & *oscillatio*, *cum tumore*, *ruber*, *calore*, & *dolore conjunctæ*, quæ omnia utero menstruantis accidere constat, sed clarius infra patebit.



CAP. VI. *Ratio Symptomatum quæ Mensum
Eruptionem præcedunt.*

Arteriæ uterinæ sanguine superfluo stimulatæ, & vi corporis motrice, quæcunque sit, animatæ, plus solito *Systole* suâ fœse contrahunt & magis idcirco *Diastole* dilatantur; Arteriæ enim tām in *Diastole* quām *Systole* suâ *elatere* suo *resiliunt*, quod ab arteriarum animalis mortui inanitione, & capacitate auctâ &c. manifestum est; sed quoniam diversarum arteriæ cuiusvis portionum systole non est exquisitè *Synchrona* sed *successiva*, & quoniam propter Capillarium resistentiam arteriæ uterinæ quāque *Diastole* plūs sanguinis accipiunt quām per Capillaria projicere possunt, sanguis aliquā ex parte regurgitat, tandemque Trunci a quibus oriuntur, nimio quāque sanguine dilatantur & stimulantur, magisque fœse contrahunt; & fortasse etiam erethismo quodam *sympathetico*, exclusa sanguinis contenti ratione, afficiuntur; quò sit, ut non modò magis adhuc distendantur Vasa Uterina, sed plus sanguinis etiam in cæteros *Arteriarum Hypogastricarum*, *Hæmorhoidalium internarum*, &c. ramos, (*Arterias* scilicet *Gluteas*, *Sciaticas*, *Pudendas*, *Obturatorices*, *arteriasque Ligamenti rotundi*) impellatur. Hinc non modò in horas crescit Plenitudo Uterina, cum *Tensione*, *calore* & *dolore*, sed nascitur etiam, cum symptomatibus iisdem, ejusmodi *Plenitudo partium vicinarum*, *Pubis* scilicet, *Inguinum*, *Coxarum*, *Femorum*, *Labiorum Pudendi*, &c. quippe quæ Arteriis supradictis nutriuntur. Et si rigidiora sint capillaria vel vehementius irritentur Arteriæ Uterinæ, reliquæ arteriæ eodem modo ad majores oscillationes stimulantur, &, sanguine majori copiâ, tempore dato, per *Venam Cavam* redeunte, Cor ipsum in

in contractiones frequentiores stimulatur, & *Diathesis inflammatoria* inducitur. Hoc autem raro, nisi in pueris pro prima vice menstruantibus, evenit, nec semper fit Uteri &c. Phlogosis ulla insignis. Sanguine etiam majori copia per Vesicæ & Urethræ vasa, ab *Hypogastricis* &c. provenientia, circumlato, & muco copiose, tenui tamen nec ad partes illinendas idoneo, a membranâ mucosâ (ut ferè semper fit in hujusmodi membranarum mucosarum affectionibus) secreto, Vesica, a Vasorum plenitudine & Urinæ Mucique qualitate salinâ, ad excretionem stimulatur, & Urethra etiam salibus Urinæ Mucique neutralibus inter mingendum irritatur. Hinc *Urinæ Incontinentia* & *Ardor*. & hic fortasse *Mucus*, qui aquâ solvi nequit, vel *Mucus Uterinus* sanguinis menstrui prodromus, turbidam reddit urinam. Simili modo affectis arteriis *Hæmorrhoidalibus*, cæterisque ramis arteriæ *Mesentericæ inferioris*, inde oriuntur *Hæmorrhoides*, *Intestinorum dolores*, & propter insolitam sanguinis quantitatem, intestina, præcipue Colon stimulantem, *Spasmi*. *Abdominis Tumefactio* aut a viscerum abdominalium plenitudine, aut flatibus a spasmis insinceratis, oriri videtur. Reliqua symptomata a Plethora universa potissimum pendere videntur. *Appetitus* scilicet *Remissio* vel *Nausea* a nimiâ Arteriarum Gastricarum repletione oriri potest, vel fortasse potius a miro quodam consensu sympathico, quo Ventriculus cum aliis corporis partibus quamplurimis, præsertim, ut in parturientibus videre est, *Utero* compatitur. Insolita sanguinis copia per pulmones impulsâ, *Respiratio frequentior* sit & *anabela*, præsertim si quædam adsit Diathesis inflammatoria. Vasorum Capitis Distensio *Cephalalgiam*, cerebri a vasorum repletione compressio, *Somnolentiam*, & symptomata, si molestiora sint, *Vigilias* efficiunt. Et *Languor Crurumque Lassitudo* nimio sanguini vasa distendenti & fibras musculares vel nervos fortasse ipsos comprimenti, haud absurdum.

dè imputari posse videntur. *Mammarum Intumescensia* adeò est molis uterinæ augmento analoga, ut iisdem ferè causis tribuenda esse videatur; quamvis enim desunt quædam, quæ utero competunt, ad vias aperiendas auxilia; tamen, præter quām quod cordi sunt propinquiores, minùs duræ videntur esse compaginis, & semel dilatatae flaccescunt quidem, sed nunquam sese penitus contrahunt. Fortasse etiam singularis earum cum utero, qui jam sanguine repletur, consensus stimuli vicem præstat.



CAP. VII. *Questionum quarundam Solutio.*

Quarè Brutis plerisque non contingat Fluxus *sanguineus*; & non nisi ante Coitum, *mucofus*?

R. 1. Quia Vasa eorum Uterina sunt Horizonti *parallela* (a). 2. Quia simplicius vicitant, nec pabulo nec potu *stimulanti* utuntur & minùs quām mulieres *otiosam* vitam ut plurimùm agunt. 3. Quia sanguis superfluus, nisi utero gerant, in *adipem* convertitur & magna pars Húmorum *Cornubus*, *Pilis*que nutriendis absuntur. 4. Quia idcirco iis non periodis iisdem ac mulieribus fit, *Sanguinis accumulatio*, vel quasi superflua *Fluidi genitalis elaboratio*. 5. Quia minùs quām mulieres *stimulis* afficiuntur. 6. Quia nunquam eorum, perindè ac mulierum, genitalia libidine ab ideis reflexis excitatâ turgent & incalescunt, & rarò pruriunt quin brevî satientur. Et fortasse de causis aliquot iisdem *Bruta*, aliis etiam hæmorrhagiis & abortui, minùs quām *homines* sunt obnoxia.

2. Quarè *Mares* non tam sint quām fœminæ, *fluxui sanguinis periodico* obnoxii?

R. 1. Quia, propter fabricam corporis firmorem, vitam minùs

minus otiosam & perspirationem &c. majorem, Plethorae minus sunt obnoxii. 2. Quia iis deest Uterus &c. & structura corporis idonea.

3. Quarè Puellæ *impuberes* non menstruantur?

R. 1. Quia, propter corporis incrementum nondum consummatum, & copiosas ab omnibus glandulis excretiones, *Plenitudo permanens* generari nequit. 2. Qnia vasa cætera debiliora sunt, quam quæ uterinorum resistentiam superare possunt. 3. Quia fortasse *parcus* vel *imperfectus* adhuc est. *Humor genitalis*.

4. Quare *Vetulis* deficiant menses?

R. Quia, *firmæ* sint licet, & *duræ*, *inertes* tamen & minus *elasticæ* sunt earum fibræ motrices. 2. Quia idcirco, propter nimiam arteriarum rigiditatem, *Venosæ* tantum *Plenitudini* sunt obnoxiæ. 3. Quia glandularum *defluxiones* perinde ac puellæ patiuntur. 4. Fortasse quia deficit *Fluidum genitale*. 5. Quia *dura* nimirum sunt vasa uterina. Si autem aperta fuerint, propter elasticitatem amissam, immodica fit sanguinis evacuatio.

5. Quarè *menstruis* *vicibus* revisat fluxus fœmineus?


R. Quia scilicet septimanis plus minus quatuor, ea generatur plethora universa, quæ plethoræ uteri efficiendæ est necessaria.

6. Undè oriatur ea, quæ Periodos, Quantitatem & Durationem spectat, mensium Varietas?

R. Si *majores*, *perpetuae*, vel *frequentiores* sint causæ, quæ plenitudinem universam vel uterinam efficiunt, *sæpius* recurrent; si *plura* simul idque *penitus* aperiantur vasa lateralia. *überius* fluunt, si denique *difficilius* sese contrahunt vasorum lateraliū ostiola, *diutius* permanent, menses. *Sæpius* autem *überius* simul & *diutius* fluunt, si hæc tria locum simul obtineant. Contraries conditionibus contraria eveniunt.

C A P . VIII . *D e causis Mensum Conditionalibus.*

Præter causas, de quibus diximus, efficientes, ad menses eliciendos, tanquam conditiones necessariæ, desiderantur. 1. *Satis vegeta corporis habitudo*, alioquî Plenitudo uterina non generatur, aut generata menses eliminare nequit, præfertim si desit, 2. *Dilatabilitas vasorum uterinorum idœna*. Si nimis enim rigida sint *Capillaria*, sanguinis *Introitum* impediunt, si vasorum lateralium *Ostiola*, *Exitum* prohibent. Si autem menstruari solitis sint laxa nimium, sine Plethora universa vel uterinâ menses fortasse erumpere possent.

C A P . IX . *D e Mensum Causis Finalibus.*

1. *Conceptui* menses inservire nemo non arbitratur. Cùm énim compagem uterinam emoliunt, ejusque vasa dilatant & aperiunt (*a*), haud fierè potest quin feminis ingressum & Plaeentæ adhæsionem facilitent; quòd ab experientiâ quoque manifestum est. Fœminæ enim, sive *Impuberes* sive *Nutrices*, sive *Vetulæ* &c quibus desunt menstrua, raro admidum quidem, quæ autem menstruantur, statim a fluxu sæpe & maximâ cum certitudine concipiunt. 2. Multi sunt qui cum GALENO sanguinem, qui mensibus ejicitur, superfluum in gravidis fœtui nutriendo, in cæteris autem fluxum *Sanitati conservandæ* inservire credunt: τὸν χρημάτια περίχεται τὴν γυναικῶν ὑγίειαν ἐκεραυδρα· ὅπιοι δέ αὐτοὶ τὴν σύλληψιν τὰ ιμβριῶν προφέται περίχει. GAL. Def. Med. Ad sanitatem quidem

Hippoc. Aph. V. 62.

dem conservandam necessarium esse sanguinis menstrui fluxum, ab ejus suppressionis symptomatibus, tam in *Gravidis* quam *aliis*, satis videtur manifestum; hoc tamen inde fortasse fit, quod vitæ consuetudine corpus huic profluvio assuefactum est. Ut ut res sese habeat, multas, quæ simplicius & minus otiosè vitam agunt, fœminas, absque ullo sanitatis damno, pariè admodum menstruari constat: quâpropter cum Astruco ferè suspicari inducor, mensium *saltēm Quantitatem* esse quasi *præternaturalem*. Menses fœtui alendo inservire creduntur.

1. Quia conceptu supprimuntur. 2. Quia Symptomata inde orta in gravidis tandem alleviantur, in aliis autem perpetuè ingravescunt. 3. Quia, si gravidae fluant menses, fœtus imbecillis esse solet (*a*). Horum autem non valere videtur consequentia. Quia si ab utero fluant, quos gravidæ patiuntur menses, haud difficile est conceptu, quomodo fœtus securitati & sanitati obesse possint, quâvis sanguis superfluous *fœtui alendo* sit nullo modo necessarius; & quia Fœtus, sanguinem superfluum absumendo, Symptomata inde orta alleviare potest, quâvis ad eum alendum non desideretur. Contra hanc etiam opinionem faciunt *quæ sequuntur*. *et cetera*, quæ non omnino vel parcè menstruantur, si modo concipient, tam facile quâm aliæ, fœtus suos nutriunt. 2. Multa Bruta, quibus desunt menses sanguinei, plures edunt partus quâm mulieres.




CAP. X. *Conclusio.*

Rejectis igitur *Fermento*, *Lunæque Imperio*, eodem licet tendentibus (haud quidem ad veram Plethoram, sed alicujus generis plenitudinem efficiendam) Plethoræ Universæ, aliter autem generatæ, & *Plenitudini Uterinae a stimulis exci-*


(a) *Hippoc. Aph. V. 60.*

excitatæ, tanquam causis efficientibus menses tribuendas esse arbitramur. Et si quæ sentiam dixisse liceat, cuiusque fere Theoriæ Patroni mihi culpæ videntur esse arguendi, eò quod, suarum opinionum pertinaces, menses ab uno duntaxat fonte derivare voluerunt, & quod corpus humanum tanquam *machinam inanimem* spectantes, Doctrinam *Principii viventis*, quatenus afficitur stimulis, momentosam licet, hoc Argumento prorsus neglexerunt. Quamvis enim de *Archeo & Anima* multa delira & imaginaria scripserunt HELMONTIUS & STAH-LIUS, luce manifestius est, tale dari principium vitale, stimulis miro quodam modo affectum, quod (uti dicit Clariſſ. WHYTT (a) in Disquisitionibus Physiologicis minimè, negligendum est.

(a) *Essay on the Vital &c. Motions* 2d. Edit. P. 300. Vid. etiam van Swiet. Tom. IV. p. 404.



P A R S



PARS TERTIA.



CAP. I. *De Mensium suppressionis Causis.*

Omni genos ferè Morbos mensium suppressioni, tanquam *Causæ Efficienti*, tribuerunt Antiqui (a); multi autem hujuscæ sæculi medici eam morborum effectum multo sæpiùs quam causam esse arbitrantur. Nec sanè diffitendum est, menses aliis à morbis, iis ~~presenti qui habundant et concidunt~~ vel debilitant, interdum suppressos esse vel potius prohibitos; frequenter fortasse tamen deficiunt menses propter morbos ab ipsa mensium *Suppressione* oriundos. Quoquo modo autem hoc sese habeat, ab observatione constat, Symptomata mox recitanda a Mensium suppressione, vel saltem simul & ab iisdem causis, sæpe oriri.

Tria sunt causarum genera, quæ menses vel prohibere vel supprimere possunt. 1. *Quæ vim vitalem imminuunt*, plethora Generali generandæ officiunt; qualia sunt *Affectus animi tristes, nimia Evacuatio, Inedia &c.* His accedere potest ipsa mensium *suppressio*, quæ, molem movendam augendo, vires:

(a) HIPPOCR. Sect. V. Aph. 57.

34 DISSERTATIO MEDICA

res debilitat, & exinde fit causa, quod minus postmodò menses erumpant. 2. *Quæ vasa uterina constringunt.* e. g. *Frigus, Terror, Pharmaca astringentia, &c.* 3. *Conceptus.* Sive enim vasa uterina rigidiora sint, sive sanguis minori impetu in ea impellatur, sive porrò Embryo in Utero continetur, menses vel non omnino, vel minori saltè copiâ fluere, necesse est.

E contrario menstrua carent. 1. *Quæcunque vim vitalem vel sanguinis quantitatem augent;* qualia sunt *Affectus animi vividi, Viatus copiosus, Potatio largior, Evacuatio solennis inhibita, Corroborantia, &c.* 2. *Stimuli,* qui sanguinis velocitatem augent, sive sint stimuli universi, uti *Febris, Viatus acris, motus violentus;* sive *Topici, seu Calor externus, Coitus, &c.* Propter horum quædam, mulieres *Batavæ,* quippe quibus, *Potus tepidus, Hypocaustica, &c.* magnoperè sunt in usu, *Fluxu immodico insigniter sunt obnoxiae.* VAN SWIET. *Comment. in Boerb. Aphorism. Tom. IV. p. 408.*

Propter vasorum uterinorum amplitudinem & frequentem veneris usum, *Uxores,* præsertim quæ pepererunt, sunt multo minus quam *Virgines & Vidae* mensium suppressioni obnoxiae. (b)

CAP. II. De Symptomatum Ratione.

Sympomata, quæ mensium suppressionem sequuntur, præter ea, quæ eruptionem præire solent, ingravescentia, sunt ea ferè omnia, quæ ad *Diatbesin Inflammatoriam,* vel *Febrim, Passionem Hystericam,* aut *Chlorosin* pertinent; quæ Brevitatis causa cum eorum *Ætiologiâ* memorabimus.

Cap-

(b) HIPPOCR. de Morb. Mulier. Lib. I. Cap. I. pag. 728. 729.

Causis, quæ menses suppressant, agentibus, pro casu diversi sunt effectus.

I. Si sensibilis admodum sit Fœmina. & caufæ vebementes sint vel *Subitaneæ*, penitus suppressant menses, & si præterea fœmina sit aliquantò *robusta*, fluxus recens & dolorificus, & plenitudo tam uterina quam universalis *insignis*, non solùm ingravescunt ea, quæ præibant, sed & alia gravia & acuta nascuntur, Symptomata. Vasorum enim uterinorum *ostiolis* subito frigore, terrore &c. *contractis*, sistitur & denuo magis magisque accumulatur sanguis, &, cum vasa lateralia spasmadicte constricta rursus aperiri nequeant, omnia in pejus ruunt. Augetur in horas Uteri partiumque vicinarum Phlogosis, & majori, tam arteriarum quam Truncorum a quibus oriuntur, oscillatione plus Sanguinis dato tempore ad cor defertur, quod fit, ut in contractiones frequentiores stimuletur & *Diatbesis inflammatoria* inducatur. Frigus autem, Terror, Astringentia &c., non uteri tantum, sed totius corporis capillaria constringere videntur. Fluxus enim tempore, *Frigore* subito manibus pedibusve &c. applicato, totum corpus rigore quodam afficitur. *Terroris etiam Orgasmo*, universa quædam cutis contractio & horripilatio percipitur. *Pharmacæ* porro *astringentia* hæmorrhagias cuiuscunque partis sæpe cohibent, antequam Ventriculum & Intestina permeasse potuerunt. Talis igitur *contractio* universam *Frigoris* sensationem infert, & ad cor sanguinem subito adigit; quo fit, ut post *Rigores* vera orriatur *Febris*, cum ejus Symptomatibus ferè omnibus, præcipue arteriarum *Pulsatione* adeò plenâ & vebenti, ut sola ejus ope mensium suppressionem sæpe dignoscere potui: aucto sanguinis impetu, plus adhuc in uteri partiumque vicinarum vasa impellitur, adeò ut, ni remediis leniatur morbus, superveniat vehemens *Uteri Inflammatio*, cum *Suppuratione* vel *Gangranu*, sin minus, sanguis e cæteris quibusdam vasis affe-

36 D I S S E R T A T I O M E D I C A

affectis in membranam cellularē extravasatur, undē fiunt
terribiles Inguinum, Femorum vel Coxarum *Abscessus*

— — — — quæque ipse miserrima vidi
Et quorum pars magna fui — — — —

fororem enim dilectissimam hoc ipso morbo mortuam usque
adhuc luget fraternus amor.

Quomodo *Hypochondriorum Tensio*, *Tormina Ventris*, *Anxietas* &c. statim a suppressione oriuntur vel ingravescant, ab
iis quæ suprà, de Ratione Symptomatum quæ menses prece-
dunt, dicta sunt, intelligi potest.

II. Si autem debilior sit fœminæ habitudo; si *spontanea* fit
vasorum lateralium rigiditas; si facile fluant, vel jam per dies
aliquot duraverint menses, aut vasa causis minus vehementer
& gradatim agentibus constringantur, fit Imminutio tantum
aut saltem minus periculosa suppressio. Desunt enim plerūm-
que Symptomata, quæ jam memoravimus, Phlogistica, aut,
si adsint, utpote leviora intra paucos dies gradatim evanescunt.
Sæpe autem eorum loco, a nimiâ plenitudine uterinâ & fortas-
se humoris cuiusdam genitalis irritatione, & insigni corporis
fere totius cum utero consensu (a), oriuntur *Passionis Hy-
stericae* Symptomata, quorum pleraque a subito quadam fibra-
rum Erethismo videntur excitari. A spasmis scilicet vasorum
plenitudine fortasse excitatis & aëra incarcerantibus, *Intestino-
rum Tormina*, *Flatus* & *Murmura alvique durities* origi vi-
dentur. A subitâ Vasorum capillarium contractione, sanguinem
torrentis ad instar in cordis ventriculos impellente, &
spasmodicâ muscularum Respirationi inservientium vel Pulmo-
num ipsorum rigiditate, *Cordis Anxietas*, & *Palpitatio*, *Dys-
pnæa*

(a) ASTRUC. Lib. II. Chap. XIII. Art. 2.

pnea & fortasse etiam *Syncope*. A simili *Gulæ* & *Sphincteris Vesicæ Affectione*, *Gutturis Strangulatio*, & *Urinæ Stillicidium* vel *Suppressio*, (post Paroxysmum autem finitum a causa contrariâ *Profluvium*) cum aliis Symptomatibus nervosi generis quāmplurimis, quæ, Uteri plenitudine & Irritatione, humoris cuiusdam e vaginâ evacuatione, ablatis (*b*), evanescent; sed postmodò singulis potissimum mensibus mulierem revisunt. Omnia *Passionis Hystericae* Symptoma, (quæ, aliquot sint licet communia, ab *Hypochondriacâ*, vel in *Feminis*; ni fallor, distinguenda est) sympathicè ab affectione Uteri idiopathicâ oriri ASTRUCUS mihi satis confirmasse videtur; quo autem modò *istæ ipsæ Affectiones Spasmodicæ*, de quibus jam diximus, ab affectione uterinâ excitantur, me prorsus ignorare fateor. Et tantillum quidem huc usque de vi vitali & nervorum actione intelligimus, ut hujusmodi rem explicare, idem ac ambagibus obvolvere videatur.

III. Quamvis autem resoluta sit Plenitudo Uterina, sanguine tamen menstruo, quem foras eliminari oportuit, intus retento & accumulato (ni habitudinis robustioris sit mulier, vel sanguis superfluus Exercitio &c. dissipetur) trñiversa corporis vasa, & cor ipsum plenitudine tandem onerantur; adeo ut sanguinem fatis agitare & elaborare nequeunt, & *Chlorosis* a *Plethora ad Vires* inducitur. Debilitatis vasis & inde lœsa sanguificatione, *Globuli sanguinei pauciores* vel *minus rubri* evadunt; hinc cutis *Pallore fœdo* deturpatur. Vitiato autem sanguine, qui virium quasi fons est & origo, fieri non potest, quin omnes ferè corporis functiones simul lœdantur & ingruat totius Corporis gravitas & imbecillitas. Lœsa igitur Digestione, Acidum superfluum in Ventriculo generatur, quod *Vomitum*, *Cardialgiam*, *Terraque absorbentis &c.* appetitum excitat.

(b) *Astruc de maladies des Femmes Lib. II. Chap. XIII. Art. 3.*

tat. Eādem de causa, *flatus* accumulantur, qui, ventriculum & intestina distendentes, *Hypochondriorum Inflationes Ventris que Tormina* efficiunt. Languente etiam, propter fortasse Bilis a sanguine tenui secretæ inertiam, motu intestinorum Peristaltico, adeſt quōque *Alvi Durities*. Propter sanguinis tenuitatem vasorumque Debilitatem & Plenitudinem, serum solito facilius e vasis exhalantibus in membranam Cellularē ex-travasatur, difficilius autem a Lymphaticis absorbetur; hinc *Pedum Crurumque diurna, Faciei autem nocturna Tumefactio* quasi *Hydropica*. Propter etiam languidum sanguinis motum & columnæ sanguineæ pondus, *Varices* in Venis Cruralibus reperiuntur. Sanguine autem motu quodam muscularum vehementiore ad cor, quod anteā, propter arteriarum Plenitudinem & sui ipsius debilitatem, vix sese contrahere potuisset, confertim adacto, statim ingruit *Anxietas*. Sed quoniam rivo Sanguinis irruente vehemente stimulatum, Cor summis suis viribus enititur, violenta fit *Palpitatio*; & quia tanta Sanguinis copia non nisi ægrè Pulmones permeare potest, *Dyspnoea* & *Anhelitus*. Ante autem quām Sanguinis moles eō usque increverit ut Chlorosin pariat, si partis cuiuslibet, Narium scilicet, Pulmonum, &c. vasa debiliora fuerint, vel *stimulo* quovis irritata, fit ibi Plenitudo topica, Uterinæ æmula, tandemque *Sanguinis effusio*, *mensium ipsorum Vicaria*. Similis, interdum Cerebro distensis Arteriæ *Carotidis internæ Vertebralisque* ramis compresso, pro compressionis gradu, *Vertigo*, *Somnolentia*, vel *Lethargia* fœminam invadit, & nonnunquam etiam, Sanguine e vasis disruptis effuso, *Apoplexia*.

Mensium a Conceptu suppressio cæteras æmulatur, & manifesta Plethora prodit indicia, quæ tamen circiter 3^m vel 4^m Mensem maximā ex parte ut plurimum evanescunt, ubi nempe Fœtus sanguinem superfluum, qui antehac Vomitu Ptyalismo &c.

&c. fortasse imminutus erat, aliquatenus absumere potest. Sunt qui hæcce graviditatis symptomata, viz. vomitus &c. a plethora provenire nolunt, quia scilicet aliquando statim a conceptu oriuntur; cum autem graviditate proiecta nullo remedio felicius quam Venæctione alleviantur, a plethorâ oriri vix dubitare possum, quamvis insolita uteri super imprægnati affectio Symptomata similia aliquando Sympatice statim a conceptu efficere possit.



CAP. III. *Diagnosis.*


Mensium Obstrutio vel Suppreffio per se facilè dignoscitur. Utrum autem necne sit affectio præternaturalis & morbida, haud semper est adeò manifestum. Quæ sequuntur autem Diagnosis aliquâ ex parte elucidare possunt.

Si Fœmina, juveni admodum, vel etate proiectæ, robustæ, obesæ, lactanti, laboriosæ vel simpliciter vittitanti, bona tamen valetudine fruonti, deficit vel deficiant Menstrua, necessaria non sunt & remediis minime provocanda. Et quamvis morbo quodam laboret, si debilitata sit vel extenuata, aut evacuationibus, sive spontaneis sive de industria factis, existimata sit mulier, menstruorum defectus morbidus non est existimandus, nisi morbum præivisset. Si autem Fœmina, in qua horum nulla reperiuntur, Mensium Obstructionem vel Suppressionem insequantur Diathesis Inflammatoriae, Passionis Hystericae vel Chlorosis Symptomata, Morbidum est & præternaturale, nisi fortasse Mulier in utero gerat.

Quomodo igitur est mera suppressio a Graviditate dignoscenda? Post 3., quidem vel 4. menses elapsos, Motu Embryonis & Symptomatum Alleviatione, & post 5. vel 6. menses Tumore abdominali juxta os Pubis percepto, Orisque uteri

40 D I S S E R T A T I O M E D I C A

ri interni accurtatione, mollitie, crassitie ac elevatione, Graviditas a merâ suppressione plerumque facile dijudicatur. Primis autem mensibus vix ulla dantur symptomata Characteristica & Pathognomonica; quamvis enim Color faciei fædus saepius in fæminis suppressione laborantibus, insolitorum autem Appetitus, Vomitus, fuscus areolarum Color &c. saepius in gravidis reperiuntur, nulla tamen ejusmodi signa tam sunt his vel illis propria, ut non sit ea, quæ inde sumitur, fallax & incerta Diagnosis. Tutiùs igitur erit antecedentibus quam comitantibus, vel potius ambobus simul collatis confidere. Si nempè Fæmina cœlebs sit & pudica; si Causæ Suppressionis, quales sunt Frigus, Terror, habitudo debilis & valetudinaria, prævissent; & si suppressionem secuta fuerint Symptoma Febrilia (a), Hysterica, vel Chlorotica, vix dubitandum est, Fæminam Menstruorum suppressione sine Imprægnatione laborare; & quò plura horum adfuerint, eò certior erit Diagnos.



CAP. IV. *Prognosis.*

Prognosis elicetur. 1. *Ab ægra Ætate.* Si nempè fæmina media sit ætatis, Mensium suppressio, utpote præternaturalis, pericula non caret; si autem ad Senectutem vergat, eorum Defectus, utpote res naturalis, est minimè periculosus. 2. *A Causis.* Si quidem a Causis negativis, Debilitate scilicet vel Inanitione, oriatur, aliquid lieèt habeant Causæ, *Suppressio* tamen per se nil habet periculi. Si autem a causis positivis, quales sunt Frigus Terror &c. supprimantur menses, periculum ab ipsâ suppressione oritur, &, causis vel ablatis, Affec-

(a) HIPPOCR. Aph. V. 16.

Affectio manet, & haud raro inducit symptomata molesta, gravia, periculosa & aliquando curatu difficilia. Excipienda tamen est suppressio a Conceptu oriunda, unde molesta licet symptomata orientur, raro tamen periculosa sunt, & facile *Remediis, Fætus Incremento, vel Partu* tandem alleviantur. Si ab Uteri Cicatricibus, Scbirro, Coalescentia, &c. oriatur, immedicabilis est affectio; si autem sanguinis evacuatio *Hymene* imperforato prohibetur, Chirurgi manus facilè solamen adferet. 3. *A Tempore Suppressionis.* Plus enim periculi initio fluxus quam finem versus, & plus etiam tempestate frigidâ quam temperatâ adfert sanguinis menstrui suppressio. 4. *Ab Obstructionis Gradu.* Si enim Menses tantum immittuntur, symptomata leviora sunt, & faciliter restituitur fluxus; si penitus autem suppressantur, morbus periculosior est, & curatu difficilior. 5. *A Symptomatibus.* Si oriatur Febris vel Diathesis Inflammatoria, periculum est ne febris vehementiae succumbat ægra, aut horrendi fiant in Coxis, Femoribus, &c. Tumores & abscessus, cum Gangrena & Febri a puris absorptione beatificâ. Talia aliquot fæminas perpessas esse, unam autem solam convaluisse novi. Si suppressionem secuta fuerit Passio Hysterica vel Chlorosis, violenta quidem & molesta adsunt symptomata, minus autem periculosa. 6. *A Duratione.* Si recens quidem sit suppressio, leviora sunt symptomata, & curatu faciliora; si autem jam inveterascat, periculum est ne ægra in Epilepsiam, Apoplexiā, Tabem, Hydrocephalum, vel morbum aliquem alium chronicum & immedicabilem incidat.



CAP. V. *Methodus Medendi.*

Pro Causarum ratione Symptomatumque Naturâ, varian-
da est medendi methodus.

F

I. Si

42 D I S S E R T A T I O M E D I C A

I. Si fœminis morbo *debilitatis*, vel *evacuationibus exbanditatis* fiat mensium obstructio, *Indicatio causam*; quæcumque sit, *negativam* spectat. Si morbus quidem adhuc persistat, contra eum omnia dirigenda sunt remedia, superato autem morbo corporis *Nutritioni & robori* sat erit consuluisse. Huc quidem conducunt *Pharmaca corroborantia*, qualia sunt *Cortex Peruvianus*, *Ferrum* &c. *Alimentum autem idoneum*, *purus aer*, & *Exercitium lene* omnibus *Pharmacopœia Formulis* sunt anteferenda: & cum fœmina rursus convaluerit, corpusque suum pristinum *robur & plenitudinem* recuperaverit, menstrua sponte suā plerumque erumpent.

II. Sive autem menses sint a causis externis fluxūs tempore suppressi, sive nimiā contractione vasorum uterinorum spontaneā inhibiti, plura sunt a medico præstanta.

I. Si quo fluunt tempore, *frigore*, *terrore* &c. supprimantur, cum *Symptomatis Febrilibus & Inflammatoriis*, *Rigore* scilicet & *Calore*, *Pulsu pleno & vebimenti*, *Nausea & Vomitu*, *Cephalalgia*, *Uteri*, *Lumborum*, *Coxarum*, *Inguinum* &c, *Doloribus*, citè vocandus est *Medicus*, ne mala aliquis secutura præcavere nequeat. Et hīc prima proculdubio esset *Indicatio*, *Fluxum restituere* ni metuendum esset, ne remediis eō tendentibus, *Erethismum uteri corporisque reliqui nervorum* absque fluxūs restitutione augeremus. Imprimis igitur potius violenta vasorum oscillatio *Venæ sectione*, parciore vel liberiore, prout Symptōmata sint plus minusve inflammatoria, sedanda esse videtur. Hic autem exoritur *Quæstio*, Utrum in *Bracio* an in *pede* vena sit secunda? Jamdiū quidem *Medici Sapbænae*, plus quam venarum superiorum sectionem (quippe quæ plus solito sanguinis in vasa uterina invitat) ad menses provocandos valere crediderunt. Si autem vera sit ea, quam supra protulimus, *Theoria*, & si non fallat *Observatio*, nihil certè interest. *Sapbænae* enim *Secilio majorem sanguinis copiam*.

in

in vasa Cruralia, propter Ligaturam, invitare non posse vide-
tur, vel si ita esset, plenitudinem & oscillationem vasorum
Uterinorum, vel *Hypogastricorum* augere non posset; quia,
cum maximum, nihilo plus sanguinis in vasa cruralia deriva-
tur, quam quod per incisionem facile potest efflueret. Ad hanc
igitur effectum præstandum, *Crurum &c.* *Frictiones*, *Pedilu-*
via Calida, *Semicupia &c.* quippe quæ non *Crurum &c.* solùm,
sed etiam, si diù applicentur, totius ferè *Corporis* vasa, in
majores oscillationes excitant, *Sapphænae sectioni* anteferenda es-
se crederem. Sed si reverā essent tales, quales esse creduntur,
Sapphænae sectionis effectus, *injuriōsi* forent, quia, ostiolis suis
spasmodicā quādam contractione constrictis, tanta jamjam est
vasorum uterinorum oscillatio, ut, ni aliquatenus sedetur eo-
rum Erethismus, & relaxentur ostiola, metuendum est, ne
Suppuratio vel *Gangræna* sequatur. Incisione igitur fat magna
e *Brachio* potius & subitò mittatur sanguis, ægroque propi-
nentur *Pharmacæ* quædam *Sedativa* & *Antiphlogistica*, mini-
mè autem *Emmenagoga* dicta (stimulantia sunt enim ut pluri-
mum) nisi ea quæ antispasmodicā quādam virtute praedita
sunt, e. g. *Castoreum Succinum*, *Campora &c.* excipiamus.
Sedato quādantenus tumultu, optimè in usum veniunt (uti in
Praxi mihi observāsse contigit) Vapores decoctionis herbarum
uterinarum in pudenda ope sellæ perforatæ recepti, qui leni-
suo calore & madore vasorum uterinorum ostiola relaxare vi-
dentur. His addi possunt *Pediluvia* & *Semicupia*, haud tamē
tepidæ nimium aut diurna esse debent, ne Diathesin Inflam-
matoriam exaugeant & plus injuriæ quam solaminis adferant.

2. Si Menstruorum obstruktionem, sive a tali vasorum uteri-
norum contractione a causis externis oriundâ proveniat, sive
a constrictione eorum spontaneâ oriatur, *Passio Hysterica* se-
cuta fuerit; aliquantò diversa Medendi Methodus est instituen-
da. Durante Paroxysmo, qui circa periodi menstruæ termi-

num plerūmque ingruit, si robusta quidem sit mulier, prōdest, ad Orgasmum Hystericum coērcendum & violentos contractionum Spasticarum effectus præcavendos, *Venæsectio*. Conveniunt etiam *Narcotica* & *Antispasmodica*, qualia sunt *Opium*, *Castoreum*, *Affa fœtida*, *Moschus*, *Alkali volatile*, *Ether*, *Olea Empyreumatica* &c., ventriculo immissa, & eorum aliquot naribus adhibita vel cuti applicata. Post Paroxysmum autem *Cura ad obstruktionem superandam* potissimum *ad bibenda est*, idque fere eodem ac in *Chlorosi* modō efficiendum est. *Stimuli* tamen *fortiores* & *Pharmaca corrobantia* locum vix obtinent, nisi, quod non semper evenit, depravata simūl fuerit corporis habitudo & Temperies. Melius fortasse convenit, *stimulos topicos* & *relaxantia* (qualia sunt *Purgativa stimulantia*, præsertim *Aloë*, *Vapores*, *Pediluvia* & *Semicupria*; *Cucurbitulæ*, *Frictiones*; &c.) utero partibusve vicinis applicasse.

3. Si *Chlorosis* Mensium obstruktionem vel suppressionem, a contractione vasorum uterinorum spontaneā vel causis exter- nis effectā oriundam, comitetur, *Indicationes* sunt. I. *Fractas restaurare vires*. Quod fieri potest. 1. *Ipsa Venæsectione*, si, recenti adhuc morbo, fœmina nimio sanguine labore: Oneri enim subtrahere, hoc casu, idem est ac vires augere. 2. *Pharmacis corroborantibus* & *stimulantibus* in corpus universum agentibus, qui fibrarum tonum immediatè augent, aut sanguinis motum incitando, sanguificationem, quā vires reficiuntur, promovent. Hujusmodi sunt, *Cortex Peruvianus*, *Ferrum*, *Cuprum*, *Vinum*, *Cortex Aurantiorum* — *Winteranus*, *Radix Curcum*. *Galang*. *Zedoar*. *Semina Cardamom. minor*. & alia quam plurima. 3. *Diætā eupeptā* & *nutrienti*. 4. *Exercitio ægræ viribus accommodato*. II. *Momentum sanguinis augere* & *sanguinem in vasa uterina invitare*, quod tamen non, nisi versus periodi ménstruæ terminum, fieri debet. Hoc autem effi-

citur 1. *Stimulis universis*, quales sunt inter Chemicos Præparationes *Martiales*, *Mercuriales* &c.; & inter Galenicos, *Gummi Myrrba*, *Galbanum*, *Guaiacum*, & *Sagapenum*, *Aristolochia Sabina* &c. quorum illi *Sale metallico*, hi autem *Oleo Essentiali* stimulanti, universa corporis vasa ad vehementiores oscillationes irritant. His addi possunt *Vomitus* omnisque corporis *motus violentior*. 2. *Stimulis Topicis* qui partibus Utero vicinis applicati majorem sanguinis copiam in vasa uterina invitent eorumque actionem augeant. Tales sunt *Pediluvia Calida*, *Frictiones Crurum & Femorum*, *Cucurbitulæ*, *Suffitus*, *Pessaria*, *Purgativa irritantia*, &c. omnibus autem cæteris fortasse præstat *Coitus*. III. *Vasorum uterinorum ostiola relaxare*, quod *Fomentationibus*, *Semicupiis* & *Vaporibus* in pudendum receptis fieri potest.

Quæstio est, *An ulla dantur Emmenagoga specifica?* Nulla profectò Pharmaca, quæ ore sumuntur, talia esse suspicor, ne ipsam quidem *Aloën*, quamvis ex omnibus illa certissimos effectus præstare videtur. Reliqua fere omnia sæpe, præsertim Anno 1761. in casu quodam Epileptico a Mensium Obstructione oriundo, probavi, tamen sine fructu; *Pilulæ* autem *Aloëticæ* quibus taudem confisus eram, fluxum restituebant. Et adeo quidem incerti sunt in *fœminis quibusdam* remediorum generalium effectus, ut interdum nihil ferè quidquam valere possit; quod sequenti *Historiâ*, menses licet non immediate respiiat, confirmari videtur.

A. D. 1759. S. D. Vere primo Mensium suppressionem passa, gravia quædam symptomata, cum maximâ corporis debilitate, 4. vel 5. Menses pertulerat. Medicus quidam in auxilium vocatus, eamque utero non gerere arbitratus, Pharmacum quoddam Martiale cum Speciebus Aromaticis præscriptit, cuius Dosis bis vel ter quotidie per 2. vel. 3. septimanas sumpsit ægra. Nil tamen solaminis experta, vitæque tandem

46 DISSESSATIO MEDICA INAUGURALIS.

peritæsa, mane quodam, quo nullum omnino cibum potumve sumpserat, spe sese perdendi, semunciam solutionis Alkali volatile caustici, seu Spt. Sal. Ammon. cum calc. viv. e phialâ deglutivit. Vocatus ego, ejus Lingua fœtida fauces penitus ex coriatas, eamque violentis vomendi conatibus quassatam reperi, nihil tamen, præter pauxillum Succi Gastrici fœc. inspissati, ejicere valentem. Oleum quidem Olivarum fœtida baustus aquæ tepidæ ei propinare jussi; adeò autem violenta erat fœtida perpetua ventriculi irritatio, ut per tres horas vix data fuit occasio cochleare olei parvum deglutiendi. Unde eam non minus quam MILLIES istis vomendi conatibus concussam fuisse credo. Sedato tandem tumultu, pallida cadaveris ad instar fœtida fatigata jacebat, mirifice tamen fortis & placidus erat Pul-sus. Enema statim injiciendum præcepi, post quod viginti circiter dejectiones babuit ægra. Ad Diathesin Inflammatoriam præcavendam, Emulsionem refrigerantem & antiphlogistica quædam alia præscripsi, & intra paucos dies optimam valetudinem adepta est. Et non modo præter expectationem ab omnibus suis symptomatibus molestis liberata fuit, sed pulchrum etiam puerum, tribus circiter mensibus elapsis, feliciter enixa est, & optime a puerperio convaluit.

In animo fuit mensium *Profluvium immodicum* tractavisse, ejusque *Remedia* indigitasse, & piget quidem me tale aliquid præ temporis locique defectu non posse subjungere. *Quoniam autem contraria contrariis illustrantur*, si benè, *satis*, sin male, *ninium*, ad morbi naturam & Curationem intelligendam, jamjam diximus. Dissertationi igitur meæ finem facio, eamque talem, qualis est, *candido Eruditorum examini* subjicio, si veritati consentanea reperiatur, magnoperè gaudabo; sin minus, me quidem *Operis suscepiti* pænitibet, *deteclii* autem *Er-roris* minimè pigebit.

F I N I S.